



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ Deuotæ

Richeome, Louis

Coloniæ, 1610

Manum bonitatem aut malitiam animæ repræsentare. Colloq. LI[X].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)

Manum bonitatem aut malitiam animae representare.

COLLOQUIVM LIX.

NVNC quemadmodum bo-
 nitas aut malitia volunta-
 tis in hac quoque corporis
 parte elucescat, præter ea quæ a no-
 bis hætenus allata fuerunt, argu-
 mento sunt sexcentæ veteris Testa-
 menti Figure, & innumera antiquo-
 rum hieroglyphica, & infiniti lo-
 quendi modi ab hac ipsa parte peti-
 ti. Itaque hoc etiam Scripturæ sa-
 cræ perquam familiare est, ut vir-
 tutes nobis, vitia, aut deprauatorum
 hominum actiones demonstratura, *Prima*
 multò quam libentissimè per ma- *miracu-*
 num id soleat factitare. Nam & *la à Deo*
 prima miracula, quæ Deus in per- *in Moyse*
 sona Moysis fecit, qui videlicet *facta ad*
 eius munus, quod erat stupenda *Pharao-*
 & admiranda pro populo perpe- *nem itu-*
 trare, excellentis cuiusdam autho- *ro, in ma-*
 ritatis accessione augetet & illu- *nu fue-*
 strata. *runt pa-*
 R 2 *stra-*

straret, in manu & circa manum facta designataque sunt. Primum erat virga illa quam vbi è manibus proiecisset, inq; serpentem conuersam vidisset, arrepto per caudam eo pristinam formã induit, & virga factus est, virga illa dico tot miraculorũ, tot stupendorum operatrix. Significantur nunc ergo per hanc figuram opera bona & mala que à nobis proficisci designariq; possunt. Id quod in manu nostra, seu si malis, in potestate nostra habemus, dona à natura data & à nobis acquisita sunt, hæc si auaritiæ, si vanæ gloriæ, si aliisq; deniq; improbis ac deprauatis vitiis seruiant & ad terrã deuoluantur, tum verò serpentes fiunt, id est naturam deprauatam induunt, sordida, humilia ac terrena tantum cõsectantur: quod si deinde eadem illa dona per caudam apprehederis, bono fini sublata destinaris, & religiosa intentione subleuaris, & si ab ijs alia non sint que ante fuerunt, nihilominus instrumenta quædam efficiuntur ad mirabilia pro honore Dei perpetranda. Ita videlicet eleganter

ganter ac graphycè plane, vna quasi
 in tabella Moyfi Deus adumbravit,
 & tortuositatem operum nostro-
 rum à natura corruptorum, & vero
 etiam humilitatem & bene agendi
 modos sapientissimaque instituta.
 Iam verò secundum etiam à Deo in
 Moyse miraculum ostensum, an non *Exo 1. 4.*
 etiam istiusmodi fuit, id est, à manu *6.*
 profectum, manu factum, manu per-
 petratum? Nam cum Deus ei in
 mandatis dedisset vt manum in si-
 num immitteret, simul ac eam pro-
 traxit, lepra perfusa fuit, & rursus
 id factitans munda nitidaque eua-
 sit. Hæc figura idem planè quod su-
 perior demonstrat, etsi modo ra-
 tioneque diuersa: nam cum operi
 alicui manum applicaturi sumus,
 ante id in sinum cogitationum no-
 strarum conijcimus, vt extracto
 postmodum rursus eo & accuratè
 considerato, corruptionem & infir-
 mitatem nostram ad bene agendum
 cognoscamus, & eo iterum in hu-
 militatis gremium demisso, sanam
 nostram manum & ad operandum
 mirabilia per virtutem creatoris

R. 3 con-

conuenientissimam inspiciamus. Deus itaque cum Moysen in populi sui caput, sicut præclare D. Theodoretus animaduertit, constituere decreuisset, per leprosam hanc manum quæ fulmina ac tonitrua excitatura erat, quæ grandinem excitaturam, maria diuisura, cursus aquarum refrenatura, fontes è petris productura, stupenda opera patratura, humilitatis virtutem eum doceret imperaturis apprimè necessariam, per quam ei constaret miracula illa non à se sed à Deo proficisci. Nunc quoniam in duobus istis exemplis virtutem & vitia, bona & peruersa opera luculenter admodum per manum velut radicem suam figurata sunt, reliquum est, eadem vt in particulari accuratius aliquanto enucleatiusque consideremus. Principio itaque Fides humana quæ iustitiæ ciuilis fundamentum & Rerum publicarum verissimum signinum est; & Fides diuina fundamentum iustitiæ Christianæ, & vniuersi ædificij spiritualis, per manum euidentissimè significatur: ita vt in omni tem-

*Cicer. r.
offic.*

*Manus
signum
fidei.*

ni temporum memoria nihil receptius aut familiarius fuerit, quam cum foedera ferirentur, manum tangere & dextras copulare, quæ *hieroglyphica & signa fidei* semper extiterunt. Quin etiam Diodorus nonnullique alij monumentis literarum consignauerunt Persas pro signo fidei firmæ constantisque habuisse, si quis dexteram alicui præbuisset. Numa Pompilius Romanorum Rex antiquissimum morem secutus, instituit ut dextera signum & sedes fidei haberetur, cui etiam templum consecrauit, ad quod qui deferebantur sacerdotes, dexteram usque ad digitos tectam habebant. Cicero ac sexcenti alij istis adstipulantur in diuersis admodum locis, præcipuè vero Philipp. II. ubi insignem querelam apud populum deponens ait. *Dextera quæ fidei testes esse solebant, fraude perfidiaque violata fuerunt.* Imo vix a Poetarum aut Historicorum quisquam est qui sententiam non confirmet, aut foederis vllius icti meminerit, ubi dextera

Diod. Sicul. li. 16.

c. 16.

Alex. l.

2 c. 10.

a Virg. Æn.

9. 4. 8.

Æn.

Plantus

in Merc.

b Tit. Li-

uius 2.

decad. l.

1. 3. dec.

l. 5. 6.

tera non interuenerit. Quin & ipsa Scriptura sacra locuples testis est cum ait: *Dedimus manum Aegypto*, id est, foedus percussimus, & fidem nostram populo Aegyptiorum obligauimus. Porro cum & iuramentum praestandum erat, manu caelum versus eleuata illud persoluebatur. Ita

Gen. 14. 12. enim Abraham in testimonium fidei quam Deo adhibebat inquit: *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem caeli & terrae.*

Dan. 12. 7. Ita quoque apud Daniele ille qui vestitus sindone super aquas fluij stabat, dextera ad caelum eleuata per eum iurauit qui uiuit in sempiternum. Ita quoque nostra tempestate Iudices iuramenta exigere solent. Iam manus etiam coxendici supposita idem plane indicabat, nisi quod aliquanto significantius, minas etiam ijs portendebat, qui foedus cupissent ac fidem semel datam uolauissent: eratque plane istiusmodi

Gen. 14. iuramentum illud quod Abrahamus a seruo suo exigebat, cum ad Chaldaeos mitteretur filio suo Isaac coniugem adducturus. An verò diuinum.

num illud instrumentum ac hieroglyphicum, manus inquam, non etiam spem significat? *Confortentur Zac. 8. 6.* manus vestrae qui auditis in his diebus sermones istos per os Prophetarum, ait Zacharias, ac si dicat, bono animo este, confidite, sperate. Quid quod etiam manus hęc timoris qui spei opponitur signum manifestum est? *Omnes manus dissoluentur, & cor hominum transibit: id est, spem abijcient, metu exanimabuntur, & animo cadent, quemadmodum ex sexcentis alijs locis idem erui potest. Itaq; superuacaneū hoc etiam loco est illud astruere velle sæpenumerò in sacris literis manus vocabulū pro charitate proximi accipi: quippe cum ipsæ loquēdi formulæ ab hoc fonte derivatae nullibi non creberrimæ sint, vt: extēdere manū suā ad pauperē, præbere alicui manū, manū porrigere. Itē pro precatōne: Cū egressus fuerō *Exod. 9. de vrbe: extendā palmas meas ad Dominū & cessabunt tonitrua: id est, rogabo Deū, quemadmodū in infinitis alijs locis viurpatur. Et pro adoratione. Eleuate manus vestras ad San-* *Psal. 33. 22**

R. S.

A. S.

Psalm.
72.3.

cta, et benedicite, &c. ac denique pro innocentia, vt cum Dauit ait: *Inter innocentes lauabo manus meas.* Pilatus ergo impius & iniustus Præses iniquâ suam sententiam hoc hieroglyphico præclarè occultare fategit. Ita qui manum in sinu tenebat, defidis & ignaui imago erat, qui digitum ori admouebat, taciturni & circûspecti, qui caput manu contrahabat, afflicti & ærumnosi. Denique innumerabiles loquēdi modi sūt ab hoc membro petitiæ ac mutuatæ, vt, venire in man^o, cū armata manu accedere, manū fortē formare vel in manū affurgere, sub manu agere, lenare manū, osculari, tãgere, retrahere, immittere, & sicut dixi infinita huiusmodi fariæ alia: adeo sicut nobilissima ista corporis pars oēs actiones exteriores obit, ita quoq; linguam acuit atq; informat ad eas oēs explicãdas, neq; minus fertilis in significationibus inueniēdis & suscitãdis est, quã in actionib^o producēdis: nã quẽadmodū intellect^o & volūtas primæ animæ facultates & vocis scaturigines, adeoq; omniū ope-

ratio-

rationū humanarū causæ per eā re-
 presentatur, & quēadmodū princi-
 pale eorū instrumentū, vel sicut A-
 ristoteles ait omniū instrumentorū
 instrumentū est, exterius omnia ex-
 equēs & agēs, ita quoque euidētissi-
 mū signū omniū interiorū est: ad eū
 reuera modum quo inter homines
 qui vniuersalis Regis alicuius offi-
 cialis, & omnium mandatorum Re-
 giorum executor est, titulis etiam
 innumeris afficitur, modò Cubicu-
 larius, modò Præses, modò Thesau-
 rarius appellatur. Nam cum manus
 vniuersa ea exequatur quæ ab ani-
 ma iubentur, bonis malisque pari-
 ter mandatis obediatur, quidquid im-
 peratur id continuo in effectum de-
 ducat, illud reuera etiam relinqui-
 tur, nihil eam non significare, & be-
 ne maleve agendi instituto malum
 aut bonum sibi nomen comparare.
 Ergo vbi facinus aliquod cum vir-
 tute coniunctum perpetratur, virru-
 tis titulo condecoratur & illius fig-
 num euadit: vbi flagitio se quopiam
 astrinxerit, ab eo dedecus trahit &
 sceleris testem agit. Exempli causa,

*Arist. de
 anima
 c. 8.*

tunc fidelitatis illa titulum confe-
 quitur, cum fideliter egit, tunc per-
 fidix, cum proditionem molita fuit,
 & simile quid designauit in quo fi-
 dem sefellisse perhibemur. Et quo-
 niam exteriora facilius in oculos
 incurrunt ac videri possunt, adhibe-
 mus reuera eam non aliam ob cau-
 sam, quam ad interiora detegenda,
 sicut etiam stylum horoscopum ad
 interiorem rotarum motum faci-
 lius cognoscendum. Atque hæc om-
 nino scaturigo illa est, ex qua locu-
 tiones istæ promanant, leuare ma-
 nus ad Deum, osculari manus ali-
 cui, quibus significamus implorare
 nos Dei auxilium, obseruare & re-
 uereri aliquem: vtentes instrumen-
 to externo ad internam actionem
 prodendam & repræsentandam. Ha-
 bes proinde nunc velut in tabella
 adumbratum quibus coloribus in
 manu Intellectus & voluntatis mo-
 tus depicti sint, & quomodo ea ani-
 mæ quædam imago venustissima ef-
 se videatur, longè reuera certior ac
 verior, quam faciei illa, quippe quæ
 nequaquam viuis & spirantibus
 actio-

actionibus, sed lineamentis tantum
 & figuris planis eam nobis repræ-
 sentat. Habes nunc ergo quæ de facie
 ac manu partibus corporis excel-
 lentissimis, homini proprijs, vide-
 bantur esse dicenda: nam quemad-
 modum Aristoteles animaduertit, *Arist. 3.
 de par. c. 2. & l. 4.
 c. 20.*
 nulli animalium aut facies, aut ma-
 nus est, etsi apud Ciceronem Luci-
 lius Stoicus Elephantis manus at-
 tribuat, id tamen figurata potius lo-
 cutione accidisse, & similitudine
 eum uti voluisse nemo non videt.

*Hominē melioribus armis instructum
 esse, quam cetera omnia animalia.*

COLLOQUIVM LX.

NVNC quoniam eum in locū THEO.
 nostra deuenit oratio, faciē-
 dum mihi non videtur, eorū
 ut absurdas calūnias prætereā, quib?
 nonnulli naturam (& obliquè ipsum
 Deū) accusabāt, quod hominē nudū,
 nullis præsidij aut armis instructū
 in hoc mūdo collocauisset, cū cōtra
 reliquas animātes, quā maximè mu-
 niuerit, & ab omnibus necessarijs
 multo quā diligentissimè sibi duxe-
 rit. *rit. es-*